



muscul.

0.



26. 34.



(4)
ORATIO
DE PRIMA
IVRIS ORIGINE PRO
gressionibus & incremen
tis recitata

AB ERDMANO CO
pernico in exordio lectionis Institu
tionum Iuris Ciuilis,
Die 25. Augu.
1561.

ADDITA EST ELEGIA
Michaëlis Haslobij
Berlinensis. 4

Francofordiæ ad Oderam apud
Iohannem Eichorn.
Anno M. D. LXI.

12
Poetarum principij, doctorum
Iohann: Manovij, Philias
Eveuu, mittit Eud.

AD AMPLISSIMOS VI-
ROS, SAPIENTIA ET VIRTUTE
prestantes, D. Thomam Matthiam & D. Paulum
Prætorium &c. Meccenates & cognatos
suos plurimum obseruandos.

SAEua Mycæus cum bella gerebat Atrides,
Nobilibus fortes sufficiebat equos.
Rex Sículus pietas auri subtegmme uestes,
Innumeras alijs & tribuebat opes.
At mihi non census, non munera magna supersunt,
Fas tamen ut uobis pectora grata probem.
Cum mea difficili res sorte petita iaceret,
Officijs uestris illa leuata fuit.
Ergo fero gratam uobis testantia mentem
Viribus ingenij condita scripta mei.
Hæc recitant ortus, diuinaq; semina Legum,
Vester in Arctoa quæ legat urbe fauor.
Parua quidem mitto, sed si spectanda uoluntas,
Mens mea, Cognati, maxima dantis erit.
Non Artaxerxes haustam de flumine, pauper
Quam dederat manibus, sumere spreuit aquam.
Addidit Haslobius carmen, quod commoda cantat,
Quæ referunt alto iura profecta polo.
Sumite missa libens: Phœbiq; ut ametis alumnos,
Attribuat uobis tempora leta DEVS.

Erdmanus Copernicus

ORATIO.



NON dubium est honestas
& legitimas vocationes,
quibus honesta & necessa-
ria in ciuili societate officia
commendantur, ab aeterno
Deo tanquam à primo autore proficisci.
Id enim ex Ieremiae dicto, quod solet huc
accommodari, luculentissimè apparèt,
cum inquit: Non est hominis via eius,
nec viri est dirigere gressus suos. In pri-
mis autem Salomonis $\gamma\upsilon\omega\mu\eta$, quem sapi-
entem vocari constat, digna est conside-
ratione: Per me reges regnant, & legum
conditores iusta decernunt; Per me Prin-
cipes imperant, & potentes decernunt
iusticiam.

De me vero meaq; vocatione, in
qua partem aliquam Iurisprudentiæ, pri-
ma videlicet elementa, quæ Institutiones
vocantur, iussus sum publicè tradere, prorsus
hanc & concepì animo persuasionem
& passim circumfero mecum, quòd ea
quoq; vnà cum aliorum, qui hìc docent,

A 2

vocatio:

vocationibus sit diuina, orta videlicet ab
eo, qui piarum vocationum & autor est
& gubernator & conseruator. Ac con-
firmant me in illa persuasione non pauca,
in quibus tamen præcipua sunt, prudens-
tissimorum & amplissimorum virorum
de me iudicium, consensus & manda-
tum Illustrissimi Principis ac Domini,
Domini Ioachimi Secundi, Electoris
Brandenburgensis, &c. Domini mei cle-
mentissimi, consensus etiam & vnani-
mis acceptatio Magnifici Inclytæ huius
Academiæ Rectoris & omniũ eius assēs-
sorũ atq; Senatorũ. Hæc igitur confirmāt
me non parum: imò & consolantur me,
ita vt non possim non in sententiam il-
lam abire, quod Aeternus Deus militiam
hanc nostram ac stationem paternè sit
gubernaturus, vt fiant ea, quæ ipsi quis-
dem sint grata, hominibus verò salutaria.

Interim tamen, quod decet in his
primis auspicijs, ex toto pectore precor
Aeternum & clementissimum Patrem,
vt in his studijs & actionibus nostris per-
petuò nobis adsit, & regat nos nostrasq;
actiones

actiones ad gloriam nominis sui sempiternam. Nam hunc ei honorem tribui semper oportet, Sine tuo numine nihil est in homine: Nisi ipse custodit ciuitatem, frustra vigilant, qui custodiunt eam.

Antequam autem ad explicationes, quæ instituendæ sunt, accedam, exponendum in initio non nihil esse videtur de prima Iuris origine, de progressionibus eius & incrementis, de ipsis legum fontibus & autoribus præcipuis. Id ut faciamus nunc, occasionem nobis Caius I. C. præbet. Existimat enim inconueniens esse interpretationem Iuris non repetita eius origine auspicari, sicut apparet ex l. 1. ff. de origine Iuris, & ex commentationibus doctorum in l. 1. Si certum petatur.

Etsi autem Iurisconsultus Pomponius optimam in ea re operam nauauit, cuius extat erudita, elegans & copiosa descriptio in l. 2. de origine Iuris: tamen apud Christianos & possunt & debent ista paulo altius repeti atque tractari. Ea enim ratione & ipsa attinguntur fundamenta,

A 3 menta,

menta, & solida iustaq; constituetur strus-
ctura.

Prima verò Iuris origo ab ipso de-
pendet Deo, qui omniū, quæ bona sunt
in natura, solus est autor & creator. Is
enim in creatione hominis, quem ad ima-
ginem suam condidit, noticias quasdam
cordibus humanis inscripsit, quæ de offi-
cijs in humana vita necessarijs perpetuò
admonerent. Istæ verò noticiae diuersis
uocantur nominibus: Sed præter cætera,
Iuris etiam naturæ illis, sicut constat, tri-
buitur nomen. Hæ ipsæ verò notiones
fuisent humano generi perpetua Regus
la vitæ, & luculentissima tabula commo-
nefaciens de gubernatione & modo gu-
bernationis actionum humanarum, si
stationem suam primi parentes non des-
seruissent, si tantum scelus non admisiss-
sent, de quo alibi & sapissimè dici
consuevit.

Post illam autem status mutationem
manserunt tamen aliqua imaginis Dei in
homine vestigia, & in mente manserunt
noticiae quædam vel certè vmbra notis-
ciarum.

ciarum. Neq; enim astipulor recentioribus Enthusiastis, qui omnes homini adimunt noticias: Et ideo non astipulor, ne vana sint illa, quæ de iure naturæ rectissimè traduntur. His igitur vmbriis notionum, & hoc iure naturæ, quod tamen est obscuratum, regebantur initio homines, quod quidem ad politicam attinet vitam.

Postea vero crescente hominum multitudine Ius gentium, quod sic vocari solet, exortum est. Nam exigentibus ita rebus aut necessitatibus humanis, cum opus esset contractibus & defensione, coeperunt mutuae quædam inter homines consuetudines esse, quæ pro legibus vsurpabantur.

His vero rationibus regebantur homines non tantum ante Diluuium, verum etiam post illud. Nam de iure naturæ constat, quod sit immutabile: Et de iure gentium notum est, quod ipsum quoq; sua manserit in statione, & ab alijs sit ad alios propagatum. Ea de re suauissimi extant versiculi in 1. Meramorphoseos:

A 4

Aurea

*Aurea prima fata est ætas, quæ uindice nullo
Sponte sua sine lege fidem rectumq; colebat :
Pœna metusq; aberant : nec uerba mimantia fixo
Aere ligabantur : nec supplex turba timebat
Iudicis ora sui, sed erant sine iudice tuti.*

Accessit autem ad superiora iuris
capita, dilapsis in diluuiio vndis, vox Dei
peculiaris ad Nôah, continens expressam
legis sententiam : Quicumq; effuderit
humanum sanguinem in terra, fundetur
sanguis eius per hominem. Illud igitur
diuinum ius est, peculiari Dei voce, sen-
tentiâq; expressum.

Crescente verò post Diluuium non
tantum multitudine, verumetiam maliz-
cia hominum, opus omnino pharmacis
quibusdam fuit. Atq; ita tum scribi leges
cœperunt in illis Rebus publicis & impe-
rijs, quorum fuit aliqua amplitudo. Inde
vetus est dictum : Ex malis moribus bo-
næ leges ortæ sunt.

In Iudaica gente scribi leges pri-
mum omnium tempore exitus ex Aegy-
pto cœperunt, de quibus in sacris dicitur :
Lex per Mosen data est : Lex ordinata
per Angelos in manu Mediatoris.

Apud Aegyptios constitutiones aliquæ propositæ sunt à Iosepho filio Iacob, id quod ex Geneseos descriptionibus apparet. Secutæ deinceps sunt leges Mercurij Trismegisti, de quo vetustas scripsit, quòd fuerit Maximus Philosophus, Maximus Sacerdos, Maximus Rex: Ac referri solet ab Historicis quibusdam ad tempora Mose.

Apud Argiuos Rex Phoroneus primas tulit leges, de quo illud etiam refertur, quod vrbes ædificauerit, & coëgerit in illas populum alioqui variè dispersum.

Apud Athenienses primus locus legislatorum tribuendus esse videtur Cecropi, qui leges aliquas de honestate matrimonij & alijs quibusdam conditionibus eius tulit, cum ante ipsum confusiones non contemnendæ fuissent. Inde si quis à nonnullis dictus fuisse putatur. Cecropem secutus est Draco quidam, cuius leges videntur paulò seueriores fuisse, & acerbiores, quod ex Demadis iudicio apparet, qui dixit eas non atra-

A 5 mento

mento sed sanguine scriptas esse. Draconem secutus est Solon, cuius sapientia multis nominibus est commendata, quod idem etiam de legibus ipsius praedicari solet atque debet.

In Laconica Republica solus Lycurgus à legum institutione commendatur. Ac est illa Lycurgi disciplina strenue in ista Republica conseruata & ad omnem propagata posteritatem.

Quales vero fuerint Graecorum illorum leges, id non est huius loci vel argumenti recensere. Sed hoc tamen praetereundum non est, quod non pauca à Graecis constituta sint ad imitationem Aegyptiorum.

Nunc ut caeteras gentes, regna, populos, Resque publicas praetermittamus, de Romanis certe aliquid oportet moneri. Isti initio non utebantur legibus scriptis, sed regebantur arbitrijs & sententijs Regum, quae pro legibus habebantur.

Elapsis deinceps aliquot annis miserunt Romani in Graeciam Legatos, qui

qui peterent à præcipuis ciuitatibus formulas legum, quibus ciuitates illæ feliciter utebantur. Exæ vero à Romanis in 10. tabulas relatæ sunt: quæ ob id interdum leges Decëuirales vocatę sunt: Postea vero edocti Romani experientia quotidiana duas adhuc tabulas addiderunt. Inde ortũ est vsitatum illud nomen, Leges duodecim tabularum. His vero legibus accesserunt paulatim Plebiscita, Senatus consulta, & Magistratum, sicut vocantur, edicta.

Etsi autem non male fuit his rationibus vrbi consultum, tamen progressu temporis, cum & vsus multa doceret & in nonnullis opus interdum esset interpretatione, exorti paulatim sunt, sicut vocari solent, Iurisconsulti. Horum tanta erat autoritas, vt haberent plenariam respondendi de Iure potestatem. Atq; id quidem ita fiebat, vt vel Iudicibus ipsis scriberent sententias, vel aliqui consulentibus responderent & testarentur, quarum rerum similia nunc exstant in Academicis Consistorijs exempla.

Ex

Ex illis vero Iurisconsultis primi fuerunt: Papyrius Maior, Appius Claudius Cæcus, Sempronius, cui sapientis nomen est attributum. Illos secuti deinceps sunt Scæuola & Seruius Sulpitius præstantissimi viri, quorum præconia non contemnenda sunt apud ipsum etiam Ciceronem. Omitto nunc alios quosdam, quos ordine recenset Iurisconsultus in d. l. 2. de origine Iuris.

Tempore Augusti floruerunt potissimum Trebatius amicissimus Ciceroni, Offilius, Tubero, Caius, Labeo, Capito: quorum quidem opera multum est usus Augustus Imperator.

Augustum secutus Tiberius Cæsar Neruam Iurisconsultum apud se habuit, cuius sæpe fit mentio in Pandectis. Fuit apud eundem Massurius Sabinus, de quo narrari solet, quod maxima laborauerit inopia, sed sit tamen ab auditoribus sustentatus & nutritus: in quo magnum est pietatis erga præceptorem sedulum & benemerentem exemplum.

Caligula vero Tiberij successor ab
Augusti

Augusti consuetudine discessit adeo, ut
minutus etiam sit in agone mortis, se, si
diutius viueret, omnia Iurisconsultorum
scripta aboliturum, nequid responderetur
præter æquum, hoc est, ex arbitrio
Principis sine scripto iure.

Vespasianus vero sapientia & vir-
tute præstans Augusti morem retinuit,
& Cassium Longinum Iurisconsultum
apud se habuit. Is vero Cassius gloriari
solebat, quod à duobus clarissimis Iuris-
consultis Tuberone & Sulpitio de-
scendisset.

Post hunc Traianus & Adrianus
Imperatores optimi, apud quos Celsus
fuit, legum studia adiuuerunt. Adrianus
enim quasi pristinum morem & liberta-
tē restitutus, cum ab eo Iurisperiti ro-
garent, ut liceret sibi alijs de iure interro-
gantibus respondere, dixit: Hoc non pe-
ti, sed effici, ac præstari solere. Erant &
alii in Senatu ipsius, ex quibus principem
locum tenuere, Vindius Verus, & Vlpia-
us Marcellus, qui multa in iure scripse-
runt.

Proximi

Proximi his Antonini duo, Pius & Marcus, multo etiam frequentiore Senatuum habuerunt, multosque Iurisconsultos fouerunt, propterea quod tempora essent paulò pacatiora, Arrianum videlicet, Tertullianum, Saluum Iulianum, Volusium Metianum, Ceruidium Scaeuolam, Aelium Martianum. Ex his Saluius Iulianus dixisse scribitur: Si alterum pedem in sepulchro haberem, tamen adhuc discerem & studerem. Aelius vero Martianus cum Didij Iuliani Imperatoris imperium attigisset, iussus est interfici ex sententia Imperatoris: sed euasit tamen periculum illud, & vixit deinceps apud Alexandrum Seuerum proximum Imperatorem: Idem autem multa in Iure præclare scripta reliquit.

Hos duos Imperatores secuti sunt Septimius Seuerus, & Antoninus Bassianus Caracalla filius Seueri. Apud hos fuit Papinianus excellens Iurisconsultus, imò lumen & ornamentum Iurisconsultorum. Eum interfici iussit Bassianus, quod scelus eius cœde fratris Getæ perpetratum

petratum approbare & excusare noluit,
dicens, facilius esse homicidium committ
tere, quam defendere, vel excusare.

Antonini Bassiani filius Alexander
Seuerus XXII. Imperator, cuius pluri
mæ extant in Codice leges, nullum de
cretum, nisi viginti Iurisperitissimis adhi
bitis, edidit. Præcipue vero Vlpianum
Papiniani discipulum in consilium ar
canum adhibuit. Is verò Vlpianus ma
gnum librorum numerum reliquit, quib
us potissimum refertæ sunt Pandectæ.
Huius socius fuit Paulus Iurisconsultus,
qui studiosis legum non est ignotus. Flo
ruit sub eodem Imperatore Pomponius,
vir legum peritissimus, Papiniani disci
pulus, & socius Vlpiani. Floruit vnâ
cum ipso Modestinus, qui non solum
I. C. verumetiam Poëta fuit, quod argu
menta in Virgilij libros ab eo scripta tes
tantur.

Augusti igitur mos ita vsq; ad Alex
andrum Seuerum ultra 220. annos res
tentus est, & postea etiam vsq; ad Iustini
ani Imperatoris tempora 300. annis cir
citer

citer duravit. Interea multi præstantes
Iurisconsulti extiterunt, mansitq; consue-
tudo, vt nemo Iurisconsultus diceretur,
aut publicè ius interpretaretur, & de eo
responderet, nisi eam autoritatem à Prin-
cipe impetrasset. Tales vero qui essent,
istorum sententię tantum habebant pon-
deris, ex Principum videlicet constitui-
onibus, vt recedere ab eorum responso
Iudicibus non liceret.

Tandem autem ex illorum Iuriscon-
sultorum scriptis Iustinianus Pandectas
suas confecit, ita vt adhibito delectu &
reiectis non paucis ea sola retineret, in
quibus & vsus & robur inesse videretur.
Idem multi ante eum tentauerunt qui-
dem, sed propter immensitatem respon-
sorum effectum reddere non potuerunt.
Apud Iustinianum autem præter ceteros
I. C. præcipui fuerunt, Tribonianus,
Theophilus, Dorotheus, quorum partim
in Institutionibus, partim in Codice fit
mentio in aliquot locis.

Non multis vero annis post eius
imperium, propter assidua bella, quibus
adflige-

adfligebatur Italia, Leges Romanæ Longobardorum statutis et iniquissimis constitutionibus obscuratæ & penè oppressæ sunt usq; ad tempus Lotharij Imperatoris, qui ab Electoribus Cæsar creatus est anno Christi 1127. Inde colligi potest ferè 500. annis Iuris Romani studium latuisse atq; neglectum esse.

Lotharius vero Cæsar, cum à Vvernero doctissimo viro Pandectæ in Bibliotheca Italica inuentæ essent, leges Romanas expolis Longobardorum statutis in forum & scholas reduxit. Vvernerum illum Accursius Irnerium vocat: Ac extant de ipso præclaræ descriptiones. Nam & Italiam summa cum laude diu gubernavit, & glossemata Iuris civilis conscripsit, & Authenticas ex Volumine Authenticorum Iustiniani compendiosissimè iuxta sententiam tantum contractas Codici inseruit. Tandem post multas res præclarissimè gestas rebus humanis exēptus est sub annū Christi 1190.

In idem autem tempus incidit Gratianus Monachus Bononiensis siue Classensis,

B

ensis,

sensis, qui Decretum post Iuonem Car-
notensem Episcopum conscripsit, frater,
vt à nonnullis traditur, Petri Lombardi
Magistri sententiarum.

Postea Iurisprudentiæ studium ma-
gis efflorescere cœpit, ita vt non discens
tium tantum, verumetiam doctorũ ma-
gna esset copia, ac subinde magis magis-
que acciperet incrementum. Circa enim
tempora anni 1190. professi sunt leges,
Hugolinus, Bulgarus, Placentinus, Mar-
tinus, Pyleus, Iohannes, Vldericus & alijs,
qui in glossis sæpissimè nominantur.

His successit Azo & Accursius vterq;
Glossator Iuris Ciuilis, qui tẽpore Fride-
rici 2. floruerunt. Eo tẽpore vixerunt etiã
Rosfredus, Innocētius, Odofredus, Spe-
culator, Iacobus de Beluiso, Iuo, Dynus,
Petrus de Bella pertica, Iohãnes Andreae.

Anno vero 1300. Cynus vixit,
cuius discipulus fuit Bartolus, qui sub
Imperatore Henrico Lutzelburgensi vi-
xit, & tempore imperij Caroli Quarti,
anno 1355. mortuus est.

Eadem ætate Hostiensis vixit, qui
Carolym Quartum coronauit. Hos ses

cuti sunt deinde alij doctores, Baldus, An-
gelus, Salycetus, Imola, Paulus Castren-
sis, Panormitanus, Alexander, Iason, De-
cius, Alciatus, Zasius, Socinus, Hennin-
gus Goden, Tiraquellus, Viglius Zu-
chemus, & alij certe non pauci. Inprimis
autem referendus in hunc catalogū est
ornatissimus & ampliss. vir Hieronymus
Schurphius, qui Iura professus est annos
quingenta circiter, partim in Vuite-
bergeniensi, partim in hac nostra Academia,
in qua etiā vitā placidē finiuit, & honoris-
ficā post se laudem & memoriā reliquit.

Non dicam nunc de cæteris, quorum
profecto non tantum magnus est nume-
rus, verumetiam eruditio, virtus, & auto-
ritas inprimis excellens.

Hæc igitur de Origine Iuris, quantū &
ingenij mei tenuitas, & tēporis angustia
concessit, paucissimis attingenda putavi.
Etsi autē materiā illam longe copiosius, &
oratione splendidiori tractari posse intel-
ligo, tamē meo me pede metior, & credo
insuper mediocritatem etiā in dicendo,
pijs, prudentibus & eruditis non displi-
cere. DIXI. B 2

DE ENAR RATIONE INSTITVTI onum Iuris Ciuilis.

Si uideo populos, hominum si cogito mores,
Hoc uideo populos non sine lege regi.
Hæc trahit ex alto certissima semina cælo,
Hinc hominum uerus pectora iungit amor.
Hæc eadem seruat iunctæ consortia plebis,
Contiguas cunctis mandat habere domos.
Quod Deus humanum genus amplectatur, & addat
Munera, cælesti plena fauore, docet.
Non alius melior nature finis habetur,
Quàm faciat summo congrua uita Deo.
Præmia uirtutis studium satis ampla sequuntur,
Sed uitium poenas, & malefacta luunt.
Lex hominum mores, uitamq; gubernat, honestos
Laude uehit digna, despicit illa malos.
Imperij neruos, ac urbis uincula seruat,
Et facit hæc proprium quenq; tenere suum.
Ergo uerecundè leges, sancteq; colamus,
Quas Deus ex alta protulit arce poli.
Qui populis illas & regnis præficit, ipsum
Is poterit populis præposuisse Deum.
Viderit è summo ius ortum ducere cælo,
Imperij cunctas quod moderatur opes.

Arbitrio

Arbitrium uero populi qui legibus addet,
Addiderit turpem legibus ille feram.
Talis enim mens est hominum talisq; uoluntas :
Sæpeq; magnanimos decipit ira duces,
Ira gubernantum trahit optima corda uirorum,
Ne bona sint eadem mens agitata facit.
Non id agunt Leges diuinis sedibus ortæ,
Nanq; bonis reddunt præmia, damna malis.
Has referant nobis parui præceptalibelli,
Quem dedit è iusto cui graue nomen erat.
Primitias apto qui continet ordine Legum,
Primaq; Romani semina Iuris habet.
Hæc ego, dum fregit Canis Erigonæius æstum,
Quo potero studio, docta Iuuenta, legam.
Sed tamen ex iussu generosi Principis eius,
Quem uatum nutrix Marchia diues amat.
Vos Iuuenes animum Domini cognoscite, uobis
Et studijs uestris consuluisse cupit.
Præmia dat doctis, nato cum Præsule, sacræ
Ut iuuenes aptè Pallados arma colant.
Si quibus arriident Leges & scita Themistos,
Si quibus est animus ciuica Iura sequi :
His ego promittens studium, uigilemq; laborem,
Non operam (fuerit siqua) negabo meam.
At quia nemo colit Leges, cum prælia fiunt,
Victaq; pugnaci Iura sub ense iacent :

Finibus ut nostris pax adsit, comprecor, adsit
Pax, sine qua leges, sancta q; templa cadunt,
Ipse Deus seruet coetum sibi, seruet alumnos,
Qui lituis spretis tempora pacis ament.
Gaudia det pacis doctas discentibus artes,
Vrbibus has cunctis impia bella fugant.
Graecia quod sensit, populi sensere Latini,
Nil bene fit, quando militis arma fremunt.
Pacis amor gratus, pacem precor urbibus: illam
Huic etiam donet, qui regit astra, Scholæ.

Erdmanus Copernicus.

ELEGIA

DE PRIMIS LEGVM LA-
toribus & ordinis politici dignitate, scri-
pta per Michaelem Haslobium
Berlinensen.

Dum posuit campus segetē, stridentq; cicadae,
Et calor Erigones excoquit arua Canis,
Quæ sub inaccessso uersaris colle Sionis,
Musa fer huc gressus officiosa tuos.
Musa Palestino quæ Regi sponte fauebas,
Cum meditaretur pectore uerba Dei.
I propior cœpto : memorans ab origine leges,
E quibus autoris suauis imago nitet.
Adde secuturis ut semper creuerit annis
Ius, sine quo firmum nil benè stare potest.
Quos habeat fines recita : pro munere rursus
Ante tuas cernes Myrteaserta fores.
Sic ego : sic retulit Dea culmine nata Sionis :
Si uideas, legum desuper ortus erit.
Nam Deus ut cœlos, terrasq; creasset & undas,
Et uolucris cœlo, piscis adesset aquis :
Dêcrat homo terræ : Quid erat sine principe tel-
Rex homo dicendus totius orbis erat. (lus ?

B 4

Ergo

Ergo Deus fingens hominem spiracula massæ
Viua creaturæ fudit in ora suæ,
Addidit & uitæ comitem sociamq; laborum :
Vos, ait, humanum multiplicare genus.
Utq; ministraret uictus, hos duxit ad hortum,
Qui uarijs pomis aspiciendus erat.
Nemo cibum, dixit, uetitum petat : atra sequetur
Parca, cupituras uellere poma manus.
Iussa Dei præsto : sed erat Stygis incola, Nymphæ
Qui misere nocui criminis autor erat.
Poma quod auulsit, quod præbuit Eua marito,
Hic grauis est summum pœna secuta scelus.
Constituit primus legem Deus : ille rebelles
Tristibus affecit, quæ meruere, malis.
Amramides magnus Moses ingentibus ausis
Proposuit turbæ iura sequenda Dei.
Ille uir in mundo, quo nec præstantior alter
Nec superûm Regi carior alter erat:
Ille uoluntatis diuinæ conscius, alto
Cœlica Sinai uertice iussa tulit.
Fertilis hunc habuit tellus, quam primus Adamus
Cum generis tenuit posteritate sui :
Qui colitis leges scriptas assurgite uati,
Huic suus à uobis exhibeatur honos.
Iura sed Aegypti populis Ter Maximus olim
Scitaq; præclaris urbibus æqua tulit.

Huic

Huic etiam legum cultores soluite grates,
Dicite ter uerè maximus ille fuit.
Hellados ora suum uidit, coluitq; Draconem.
Notus & huic præstans mente Lycurgus erat.
Maior erat (reliqui nobis ignoscite) clarus
Qui fuit in celebri Cecropis urbe Solon.
Ille Solon habitus legum doctissimus autor,
Iura suis quondam ciuibus apta dedit.
Nescite uos hederam iuuenes, Laurumq; uirentem :
Dicite : Serta Solon crimibus ista gerat.
Qua positus terra fuerit, date dona sepulcro :
Addite : sit tristi paxq; quiesq; rogo.
Nec minus in regno sunt condita iura Latino.
Paruit his Latij concio tota fori.
Nos eadem colimus, sancte coluere minores,
Teutonicis eadem sacra suere plagis.
His celebres multi uixere prioribus annis,
Quos, nimis hic longum, commemorare foret :
Sed tamen his Iusti Princeps qui nomen habebat
Clarus, & hoc dictus nomine, iustus erat.
Iustitiæ splendor cultorem fleuit ademptum,
Illius ac uirtus fleuit honesta necem.
Laurus ad illius tumulos & Myrtea crescant
Germina : textilibus floreat urna rosis.
Iustitiam coluit, de Iusto nomina gessit,
Pace domi iustus legis amante fuit.

B 5

Vidit

Vidit is æthereæ munitus acumine mentis
Has homini leges cœlitus esse datas.
Nostra Deus lucis radios in pectora fundit,
Semina uult nobis mentis inesse suæ.
Sic Deus est orbi notus, sic nota uoluntas,
Quod cupiat uera relligione coli.
Turpia sic factis sœpiungere scimus honestis,
Quæ placeant, scimus, displiceantq; Deo.
Iustaq; non iustis secernere possumus: illo
Lumine si careas, quis tuus usus erit?
Si radium tollas hominum per pectora sparsum,
Ducet homo uitæ secula, more feræ.
Non aderunt leges, retrò sublapsa ferentur
Cuncta, sub antiquum corruitura chaos.
Si radij maneant hominum per pectora sparsi,
Ducet homo uitæ secula, more Dei.
Non aberunt leges, rectè suscepta ferentur
Cuncta, nec in uastum sunt ruitura chaos.
Iustitiæ, stella Veneris prælustrior, ordo,
Æmula non illi lumina Solis erunt.
Ille regit populos: quæ debet, libera reddit:
Ille petituris omnibus æqua facit.
Pendet ab hoc mundus, populi sententia pendet,
Pendet in hoc orbis pacis amica salus.
Orbis & urbs sacris è legibus accipit æquum:
Mœnia quod crescunt, lex ueneranda facit.

Sicut

Sicut enim sine mente queunt non corpora ferri :
Oppida sic nullis legibus usa cadent.
Qui rapiet populis & magnis urbibus istas,
Urbibus & populis auferet ille diem.
Aetheream mundo lucem cum Sole fugabit :
Sic stygijs iunctus fontibus axis erit.
Nil benè procedet : clades & funera cernes :
Flebile tunc bellum munia pacis obit.
Pace Dei cultus crescit, legumq; potestas,
Bella fugant leges & sacra uerba Dei.
Pace nihil melius : pax aurea, mille triumphis
Est potior : duri militis arma cadant.
Intereant gladij, cesset tuba, pacis amemus
Gaudia : nil bellum, nil tuba sæua parat.
Per litui strepitum, dubijq; negocia Martis,
Nemo sacris iunctus legibus esse potest :
Hoc Marius queritur Mauortis signa sequutus,
Hoc fieri belli tempore sæpe solet.
Nos igitur placidæ poscamus secula pacis,
Orbis ut optatis legibus ire queat.
Hæ superûm spectant laudes, nostramq; salutem,
Urbibus hæ nostris commoda magna ferunt.
Imperij seruant uires, reparantq; iacentes :
Inde malus pœnam, præmia iustus habet.
Sunt etiam superæ certissima semina mentis
Pectoribus nostris insita, dante Deo.

Pallas

cut

Pallas Erichthæas quondam quæ rexit Athenas,
Dicitur ê summi uertice nata Iouis.
Illa gubernatrix orbis, legesq; uerendas
In uarijs fertur constituisse locis :
Adq; : quod hæ leges, ducentes desuper ortum,
Sunt radij, quales mens habet alma Dei.
Iustitiam nobis monstrant, & crimina damnant,
Iustitiæ cunctos nos decet arma sequi.
Illa stat, & gladium gestans, libramq; Tonantis
E gremio leges innuit esse satas.
Has igitur semper studiosi pacis amemus,
Hinc oritur superûm gloria, nostra salus.
Dixit & aufugit Dea : nos audita papyro
Tradidimus : lector consule pauca boni.
Si mihi Dij mites & numina casta fauebunt,
Ad Viadri posthac flumina plura canam.
Nunc dolor includit uocem : dum fata SABINVM
EX oculis nostrum surripuere decus.
Vrbs bona ter salue, quæ seruas corpora uatis,
Qui nitido uatum carmine uictor erat.
Ad tumulos eius manes uenerabor, & addam
Carmina, quæ luctus nuncia signa dabunt.
Te mea uita colam: sed & Albis nomen habebit,
Albis erit nobis, Odera carus erit.
At iuuenes legum socij, uos uiuite sacris
Legibus : exornet nostra Lyceæ timor.

Quæ

Quæ studijs profint, hîc plura Copernicus edet
Dum ueterum legum semina prima caret.
Hæc referet largo facundæ flumine linguæ,
Qua sibi Pegaseas accumulauit opes.
Dum referet, iuuenes præbete fideliter aures :
Sic faucat uobis, quæ Dea iusta cupit.
Sirius extenuat mihi uires : ergo profundum
Ad Viadri flumen sit cecinisse satis.
Tempuserit, quo, cum tantus se fregerit æstus,
Carmina Patronis uberiora feram.


F I N I S .



VM

t,

Qua




Pd 263

3
ULB Halle
004 099 613


SB

Me





(4)

ORATIO
DE PRIMA
IVRIS ORIGINE PRO
gressionibus & incremen
tis recitata

AB ERDMANO CO,
pernico in exordio lectionis Institut
tionum Iuris Ciuilis,
Die 25. Augu.
1561.

ADDITA EST ELEGIA
Michaëlis Haslobij
Berlinensis. 4

Francofordiæ ad Oderam apud
Iohannem Eichorn.
Anno M. D. LXI.

12
Poetarum principij, doctorum
Iohann: Menovij, Philias
Eveza, mittit Eud.

